



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus XXI. De Testibus Cogendis, vel non.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62656)



TITVLVS XXI.

De Testibus Cogendis vel non.

SUMMARIUM.

1. Testes rogati & citati deponunt.
2. Renuentes coguntur de Jure Civili:
3. De Canonico duobus tantum casibus,
4. Etiam, si causa sit Criminalis:
5. Nisi à testificando privilegio eximantur.
6. Cogi etiam potest, qui se non testificaturum juravit.
7. Clericus à iudice Ecclesiastico:
8. Non etiam à laico cogitur.
9. Testificari clericus contra reum nequit in causa sanguinis:
10. In qua etiam laicus voluntariè:
11. Non etiam coactè testificans sit irregularis.
12. Pena, aliquem impediens à testificando.

CUm examini ultro se offerentes, extra calum, quò de vitando peccato agitur, suspecti habeantur, Testes, ut probent, producendi sunt à parte litigante: aut, si ab ista rogati nolint, publicà auctoritate, sive ab ipso iudice ad testimonium in iudicio dicendum citandi, ut ex communi DD. sensu Regulæ instar tradunt Gaill. *Lib. 1. observat. 100. n. 9. & Farinac. Prax. Criminal. q. 80. n. 8. & 11.*

Quòd si istius monitioni & iussui non obtemperent, ad testimonium pro veritate perhibendum, etiam inviti à judi-

ce compelli possunt, l. *Constitutio 10. & Si quando 19. C. hic*, propter utilitatem ipsius Reipublicæ: cuius interest; ne occultetur veritas, ad quam eruendam testes adhibentur, c. *1. c. fin. & l. Curram. 12. ff. hic.*

Coguntur autem testes, quando idonei sunt, Jure Civili, vel indicia multæ pecuniariæ, l. *Unica, ff. Si quis jus dic. non obtemp.* vel captis pignoriibus, ad exemplum tutorum & curatorum, satisfactore volentium; cum, sicut istorum, sic etiam testimonium officium quasi publicum sit, arg. l. *1. pr. ff. hic*, Panormit. in *Rubric. & Gaill. Lib. 1. observat. 18. n. 1.*

Idem de Jure Canonico universali-ter procedere, ab Interpp. & aliis DD. permultis desumi solet ex plerisque subjectis præsentis Rubricæ. Sed, ut Innocent. & Hostiens. in c. *1. n. 1. test.* observant, ad testimonium pro causa veritate perhibendum hoc Jure regulariter solum monendi: cogendi verò duobus duntaxat casibus sunt, quando scilicet gratiâ vel odio vel adversarii metu contentum id recusant, c. *1. c. Super eo 3. c. Ceterum 6. c. Cum contra 9. & c. Dilectorum 10.* & quando occulta veritas aliter, quam eorum depositionibus, probari non potest, c. *1. cit. c. Cum super & c. fin.* Quibus casibus ad testificandum compelli possunt per censuras Ecclesiasticas, c. *1. cit. c. Pervenit 15. hic & c. Quoniam 3. de Test. & attest.* Laici quidem excommu-

nicationis & Interdicti: clerici verò, antequam ad has censuras procedatur, ab officio & beneficio Suspensionis, *c. Cum super cit.* quia id exigit necessitas publica; ne ex defectu probationis pereat jus partis, *c. fin. cit. ubi Gonzalez n. 7.* Unde

4. Dubium nascitur, an duobus his casibus cogi etiam possint in causa Criminali, quando ad pœnam & vindictam publicam agitur. Negat id *cit.* Innocentius n. 2. Panormit. in *c. 1. cit. n. 6.* & ceteri Interpp. plerique: quos secuti sunt Speculat. de Teste §. 13. n. 4. Farinac. Prax. Criminal. q. 75. n. 115. & novissimè Pirrhing ad hanc Rubr. n. 11. suam hanc Opinionem desumentes ex *c. Super eo cit.* ubi relatus Alexander III. generaliter, testes monendos, non cogendos, asserit, & ex *c. Dilectorum 10. ibi, Præterquam super criminibus.* Rationem reddunt; quòd occultatio veritatis, cum de rei condemnatione agitur, speciale damnum asserat nemini, præterquam accusatori, si deficiat in probatione: cujus, quia ex accusatione sibi imminens quodcunque periculum sponte subit, non magna ratio est habenda. Accedit; quòd hujusmodi testimonio occasio præbeatur odio & inimicitiae inter accusatum & testes, illius condemnationem & punitionem depositionibus suis, contra quàm humanitatis & Christianae lenitatis ratio exigit vel permittit, promoventes.

Sed neque ratio ista neque *citt. textus* coactioni testium in causis etiam Criminalibus obstant casu, quò de facti veritate constare aliter non potest: & illi iudicis, eos ad testificandum citantis, monitioni & iussui non obsecundant, ut cum Hostiensis in *c. Dilectorum cit. n. 3.* docent Clarus §. fin. q. 24. n. 21. & Guazzinus Reor. defens. 14. cap. 11. n. 1. & alii, Curiarum, præsertim Romanæ, praxin profè allegantes: quorum sententiam am-

plexi sunt Vallens. hic n. 3. & Gonzalez in *c. fin. cit. n. 8.* claris Juris testimonii permoti; cum, testes in variis causis Criminalibus coactos, luculenter doceant nostræ Rubricæ subiecti textus, *c. Pervenit 4. c. Super his 8. c. Cum contra 9. & c. fin.* quorum primò in simonia & adulterii: postremò in conspirationis in proprium Episcopum: reliquis duobus *cc.* in Falsi criminibus ad testimonium in iudicio dicendum sunt compulsi. Id ipsum persuadet eidem subiectis textibus prodita non una, nec contemnenda ratio; ne veritas occultetur, *c. 1. cit. can. fin. 14. q. 2.* ne per defectum testium pereat iustitia, *c. fin. ne malus ut bonus aestimetur, can. cit.* quia Reipublicæ interest, veritatem detegi; ne crimina, quæ reorum publicâ diffamatione, aut isti succedaneis iudiciis in iudicium delata sunt, maneant impunita, contra textum *c. Ut fama 35. de Sent. Excommunicat.* Unde

Corruit contra ejusmodi coactionem allata ratio; quia rei accusati & contra ipsum producti testis privato commodo prævalet utilitas, imò necessitas Reipublicæ: cujus quia interest, detegi veritatem, testis istam prodentis munus publicum dicitur, *arg. l. 1. pr. cit.*

Neque aliud desumitur ex *c. Super eo cit.* quia, cum isto, testem non cogendum, sed monendum, dicitur, id intelligendum est de principio; cum monitio præcedere debeat coactionem, *c. 1. cit.* Monitioni autem non obtemperans cogi non prohibetur, Glossa in *c. cit. V. Non cogendi, & Vallensis ibid. n. 5.*

Magis in speciem: at reipsa etiam non urget textus *c. Dilectorum cit.* quia istò Honorius III. testes ad testificandum cogi solùm noluit à iudicibus, datis in causa Civili, quæ inter Episcopum & Capitulum primò vertebatur; quòd iudicium Criminale non per eosdem, sed alios iudi-

ces voluerit agitari. Quodd autem inter eos primò agitata fuerit causa Civilis, liquet ex eo; quodd Episcopus & Capitulum litigârint per procuratores: per quos causam Criminalem criminaliter intentatam de Jure non tractandam, patet ex *c. Tue 5. de Procurat. Zæsius ad hanc Rubr. n. 3. & Gonzalez cit. n. 8.*

9. Sed, licet iudicis coactioni obnoxii generaliter quicunque sint, ab hac tamen generali Regula exempti sunt, & ad testimonium dicendum compelli Jure nequeunt Imprimis, parentes & quicunque ascendentes contra liberos, istorumq; descendentes, & vicissim hi contra illos; cum ad testimonium adversus se mutuo dicendum nec volentes admittantur, *l. Parentes, junctâ Glossâ, V. Adversus C. hic.* Deinde cæteri consanguinei & affines adversus se mutuo, uxor contra maritum, sponsa contra sponsum, libertus contra Patronum & vicissim, *l. Lege Julia 4. & l. In legibus 5. ff. hic* Et demum senes, præsertim septuaginta annis majores: valetudinarii, qui morbo detinentur: milites, qui in expeditione sunt, & qui cum magistratu Reipublicæ causâ absunt, *l. Inulti 8. ff. hic & nonnulli alii, de quibus latè Farinac. cit. q. 78. à n. 59.*

6. Hujusmodi personis, ut primâ fronte videantur, revera tamen addi nequeunt, qui de crimine aliquo accusato vel denunciato, se testimonium adversus eum non dicturos, jurârunt; tales enim ad testificandum compelli posse *c. Constituta 45. de Testibus & c. Pervenit. cit.* decisum, & ratio clara est; quia juramentum hoc est contra bonos mores; cum ex natura & fine suo invitet ad libertus delinquendum: & pugnet cum obligatione parendi iusto mandato iudicis, ad rei veritatem manifestandam legitimè interrogantis, secundum S. Thomam 2. 2. q. 70. art. 1. & demum sit contra utilitatem

publicam, exigentem crimina non esse impunita: ac proinde obligatorium esse non potest, *c. Quanto 18. de Jurjurando & Reg. 58. in 6. Panormit. in c. Pervenit cit. n. 3. Speculat. cit. §. 13. n. 5. Farinac. cit. q. 78. n. 149. & Laiman in c. cit. n. 1. monens, consultum esse; iudex hujusmodi coacti testis juramentum, antequam deponat, nullum esse declaret, vel eum absolvat ad cautelam; cum ad tollendum scandalum & offensionem aliorum præsertim simplicium: tum verò; ne ad testimonium dicendum admittere videatur perjurum, & istius dictorû fides sit suspecta, Glossa in *c. fin. V. Absolut.**

Dubium etiam est, an ad testificandum cogi etiam valeant Clerici & Religiosi. Non quidem à iudice Ecclesiastico & suo; quia istius, ad testimonium perhibendum in jus vocantis, monitioni non parentes præcepto urgeri, & in contumaces poenam decerni posse, liquet ex *c. Cum super cit.* ubi non parentibus Suspensionis: & crescente contumaciâ, ipsius Excommunicationis ac Depositionis comminatio est facta.

Sed à Seculari: cujus etiam coactioni eos obnoxios non esse, desumitur ex *can. Statutum 35. junctâ Glossâ V. Ad testimonium, 2. q. 6. Panormit. in c. 1. n. 4. ubi Hostien. n. 3. Ant. de Butr. n. 7. cit. Speculat. n. 1. & Farin. n. 74. Ratio est quod testes deponere debeant jurati, *c. De testibus 29. & l. Jurisjurandi 9. C. de Testibus & attest.* jurare autem clericis coram iudice Seculari sine consensu sui Episcopi non liceat; *can. fin. 22. q. 5.* Unde casus quò eorum testimonium necessarium est, vel coram suo iudice Ecclesiastico deponere: vel, ut id coram laico facere possint, Episcopi licentia requiri debet, *can. fin. junctâ Glossâ, V. Coram se, 14. q. 2.**

Multò minùs cogi possunt in causâ Criminali, præsertim sanguinis, propter pericu-

periculum irregularitatis, quam incurrent, si ex eorum testimonio reus ad mortem aut membri amissionem condemnaretur, *can. Hic, à quibus, 23. q. 8. S. Thomas 2. 2. q. 7. art. 1. & Panormit. in c. Sententiam, 9. Ne clerici vel Monachi, n. 11.* Quod procedit, etiamsi veritas aliter haberi non posset, *Baldus in Rubric. hic n. 3.*

10. An etiam à laico, ad clericatum aspirante, si in sanguinis causa coactus contra reum testificetur, istius morte secuta, irregularitas contrahatur, non ita pridem controversū reddidit ejusmodi contra militem coacta depositio alicujus Academiae nostrae Scholaris: à quo irregularitatem contractam, hanc magni ponderis ratione suadebatur; quòd ex una, Scholaris si ad testificandum accessisset voluntariè, vel rogatu accusatoris, aut etiam judicis, non compellentis, simplici citatione, procul dubio illi sacra Ordinationis impedimento obnoxius foret, ex communi sensu DD. apud Suarez *Disp. 47. de Censuris f. 3. n. 2. § 3.* ex altera verò parte, ex præcepto & coactione judicis orta testificandi necessitas & obligatio ab irregularitate eum non excuset: sicut non excusat rebellionem aliisque Justitiæ ministros & ipsum judicem: quantumvis ad rei, cujus delicto capitalis poena à Jure decreta est, condemnationem concurrant, judice præcipiente, & iste ad eam ferendam necessitate à Jure & officio suo imposita procedat. Sed, si res penitus inspiciatur, latum discrimen se proderit inter judicem, tabellionem, ceterosq; Justitiæ ministros ex una, & ejusmodi coactum testem ex altera parte; quia necessitas illorum fundatur in propria voluntate, quâ ejusmodi munus in se receperunt; cum, licet v. g. judex, officio admisso, capitalem poenam ei, cui lege decreta est, necessariò infligat: officium tamen illud neque à Jure, neque ab homine coactus, sed liberâ voluntate admittit: is autem, de quo loqui-

mur, testis invitus, & contra suam voluntatem, & fortè etiam protestationem ad testificandum autoritate & præcepto judiciali obligatus & compulsus fuit.

Quare satis probabiliter Coninck **II.** *Disp. 18. n. 96. Bonacina de Censur. disp. 7. q. 4. p. 3. num. 8. Palao Tract. 29. disp. 6. p. 14. §. 5. n. 3. & Gonzalez in c. fin. n. 10.* ejusmodi laicum, ad testificandum à judice compulsum, ab irregularitate immunem pronuntiant: eosque secuti pronuntiarunt, qui super memorati Scholaris factò sunt consulti; movebantur enim textu, *c. Tuanos, 19. de Homicidio*, cujus §. *Ad ultimum §. fin.* super Scholaris, qui judici requirenti signa, latronis, postea mutilati, delictum comprobantia subministrarat, factò consultus Innocentius III. hoc illi, ad sacros Ordines aspiranti, impedimento non esse, rescriptit. Rationem reddebant partim; quòd ejusmodi testimonium non solum culpâ, sed lenitatis quoque defectu vacet, hòc ipsò; quòd non liberè ac sponte, sed judicialis coactionis necessitate sit dictum: partim verò; quòd credibile non sit, irregularitatem ab Ecclesia impositam actui testificationis, non ex officio voluntariè suscepto, sed legitimi superioris justò præcepto urgente, debito ex Obedientia, & Naturali Jure, ut arguit *cit. Palao n. 3.*

Sicut testes, quando judicis monitioni parere recusant, distractione Ecclesiastica compelli, ita & multò magis Censuris aliisque poenis Ecclesiasticis coerceri possunt, qui ad testimonium pro veritate dicendum in judicium vocatos & paratos, quò minus comparere valeant, malitiosè impediunt per textum *c. Constitutio 45. de Test. & artest* ubi ab Innocentio III. ne copia probationis parti pereat, Excommunicationis sententia promulgari jubetur in eos, qui ab illa producendos testes prohibere & impedire præsumerent, *Panormit. in c. cit. n. 1.*

TITVLVS XXII.

De Fide Instrumentorum.

Decretalibus propositarum Probationis specierum altera sunt Instrumenta: quorum fides non minorem probandi vim in iudicio obtinet, quam vivâ voce deponentium attestations, l. In exercendiis 15. C. hâc Rubr.

ARTICULVS I.

De Natura & Varietate Instrumentorum.

SUMMARIUM.

1. Instrumenti etymon ac natura.
2. Divisio in Publicum & Privatum.
3. Publicum conficit Notarius.
4. Jure Communi à solo Principe supremo:
5. Speciali non raro ab inferiore creatus.
6. Ejus solemnitates sunt I. Invocatio Numinis;
7. II. Expressio nominis Papæ vel Imperatoris,
8. III. Anni Domini, atque etiam Judicij,
9. IV. Et loci, in quo gestus est actus, super quo conficitur instrumentum;
10. V. Rogatio Notarii,
11. Facta ab eo, à cujus voluntate actus pendet:
12. VI. Rei gesta series.

13. VII. Ut confectum à Notario;
14. VII. Eju manu subscriptum,
15. IX. Et sigillò munitum sit.
16. Publico affine est instrumentum authenticum;
17. Cujus potiores,
18. Et plures species privati instrumenti referuntur,
19. Divisio in Originale & Exemplum.

Instrumenti nomen ab Instruendo derivatum, & latius acceptum est omnem id, quò causa instruitur, sive de re controversa judici fit fides; ac proinde etiam testes, sive illorum depositiones comprehendit, c. Pervenit, 4. de Testib. cog. & l. 1. ff. hie. Strictè autem & magis propriè denotat quamlibet scripturam, quæ de ejusmodi re fidem judici facere potest, c. Cum Joannes 10. V. Parri Hostiens. in Summa hie n. 1.

Hoc modò, & in Rubricæ nostre sensu accepti Instrumenti duæ celeberrimæ sunt divisiones. Una, quæ bifariam aliud Publicum dicitur & aliud Privatum; ad quorum prius reduci solent scripturæ Authenticæ, vim & effectum Instrumenti publici habentes; etsi publica propriè loquendo non sint, Panormit. in c. 1. n. 2. Speculat. de Instrument. edit. §. 7. n. 2. & Everardus de Fide Testament. cap. 1. num. 3.

Publicum enim instrumentum propriè acceptum est Scriptura, quæ publica autho-